

DE CLITOPH. ET LEVCIPP. AMOR. LIB. I. 4  
os pallidum, genæ contractæ, oculi mare intuen-  
tes, labia tanquam vocem præ metu emitte-  
ntem nonnihil hiulca, manus taurum versus pro-  
tentæ . ad mare autem eousque processerant,  
vt pedis partem superiorem aqua pertingeret.  
corporis totius status is erat , vt & ad taurum  
contendere velle , & vndis credere se vereri vi-  
derentur. mari color inerat duplex. terræ enim  
propria quior pars subrubebat : remotior verò  
& profundior cœrulea erat. illic scopuli etiam  
è terra projecti extabant: quos è tumescentibus  
& saxo allisis fluctibus facta spuma dealbabat.  
Medio in mari pictus taurus ab vndis vehebat-  
tur, montis instar attollente se vnda, qua bo-  
uis crura flectebantur. tauri dorso virgo inside-  
bat, non equitum more , sed utrisque dexterum  
in latus pedibus aptè demissis , læuaque cornu,  
quomodo habenas aurigæ solent, tenebat: ma-  
num enim taurus sequebatur. Virginis pectus ad  
pudenda usq; alba tunica, corpus reliquum pur-  
purea læna contegebatur: omnia tamen per ve-  
stem cernere licebat.nam & profundus umbilicus,  
& planus venter , & angusta ilia , verùm amplos  
in lumbos desinentia perspiciebantur.papille mo-  
dicèt umebant, zonaque adducta vnâ cum tunica,

A 4

qua